UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiæ Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Dispvtationes Scholasticæ De Incarnatione Dominica

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

4. De officio Mediatoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81011

Visual Library

sicut nec Christus vllum habuit propriè loquendo, sed ministros, per quos ipse Christus semper offert. Septimo, quia excellentior fuit Aaronе, cum Abrahamum, in cuius lumbis continebatur Leui, & Aaron, benedixerit, ab eóque vt superiot decimas acceperit. His denique additur, quòd obtulit panem, & vinum, sicut Christus corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, quam similitudinem agnouit Ecclesia, dum in antiphona festi corporis Christi: *Sacerdos in æternum, Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem, & vinum obtulit.* Et Tridentinum *dicto capite primo* dicit, in eo facto oblationis Eucharisticæ, Christum se declarasse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech. Quam tamen similitudinem in sacrificio panis, & vini Paulus *in dicto loco* noluit attingere, tum quia erat extra scopum Apostoli, qui solùm volebat ostendere excellentiam Sacerdotij Melchisedech supra sacerdotium Aaronicum, ad quam excellentiam parum conducebat obtulisse panem, & vinum: tum etiam quia Hebræis adhuc rudioribus noluit ingerere mysterium illud Eucharistiæ absconditum, quod non nisi proiectis solebat proponi; quod videtur insinuare *cap. 5 vers. 11.* in illis verbis: *de quo*, videlicet Melchisedech, *grauis nobis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* De his tamen, quia magis ad controuersistas, & ad Scripturæ interpretes spectant, videri possunt Bellaminus *tom. 2. lib. 1. de Missa c. 6.* & Cornelius *in illud capitulum 7. Epistolæ ad Hebræos.*

Bellarm. Cornelius

Ex dictis infertur Christum non solùm fuisse Sacerdotem, sed Episcopum, & Summum Pontificem, in gradu excellentissimo, & eminentissimo, cùm habeat in se perfectiones vtriusque dignitatis in gradu excellentiori, scilicet absque limitatione, sed tanquam fons, & caput, à quo in alios Pontifices, & Episcopos potestas deriuatur, tanquam in ministros cum limitatione debita. Vnde etiam sequitur, Christum habere spirituale regnum super omnes, potestatem ferendi leges in Ecclesia, quam benè probat, & explicat Suarez *disput. 47. per totam.*

41. Marc.

SECTIO IV.

De officio mediatoris.

42. Adrianus, de Christo.

SAnctus Thomas *quæst. 20.* agit vltimo loco de officio mediatoris, quod Christo competit, iuxta illud Pauli 1. ad Timoth. 2. *Vnus est mediator Dei, & hominum, homo, Iesus Christus.* Quia tamen eadem ferè doctrina est de sacerdotio & de officio mediatoris, ideo in hoc loco breuiter explicabitur. Suppono autem Christū aliquādo appellari mediatorem, eo quòd sit aliquid medium inter Deum, & homines, quatenus vtramque naturam diuinam, & humanam substantialiter coniunctas habet in eodem supposito: nihil enim magis est medium, quàm quod participat rationem vtriusque extremi. Sic videntur loqui Basilius, Nyssenus, Epiphanius, Cyrillus, Tertullianus, Hilarius, Fulgentius, *Card. de Lugo de Incarnat.* quos affert Vasquez in præsenti *disputat. 81. capite primo*, qui tamen benè aduertit, in eo sensu Christum magis debere dici medium, quàm mediatorem: nam mediator est potius nomen officij, quàm naturæ, & licèt necessaria fuerit coniunctio vtriusque naturæ in persona Christi ad hoc, vt hoc officium efficaciter, & cum sufficienti virtute, & actiuitate potuerit exercere, quia sola humana natura non potuisset condignè reconciliare Deo peccatores; non tamen dicetur mediator, quia participat aliquid vtriusque extremi, sed quia exercet officium mediatoris circa Deum, & homines.

Basilius. Nyssenus.

Epiphan. Cyrillus. Tertullian. Fulgent. *Mediator quid.*

Hoc autem officium quadrupliciter exercetur. Primò per modum iudicis arbitri ad componenda dissidia, & decidendas controuersias vtriusque partis: & hoc habuit Christus, ideóque appellatus est arbiter ab Ambrosio in illud 1. ad Timoth. 2. *Vnus mediator.* Sed non omnino propriè, & in rigore, vt constat, cùm non fuerit Iudex Dei. Secundò mediator dici solet, qui est proxeneta deferens pacta, & conuentiones ex vna in alteram partem, & hoc etiam habuit Christus deferens voluntatem, & mandata Dei ad nos, & preces, ac desideria nostra ad Deum. Tertiò dicitur, mediator, qui intercedit pro vno apud alterum; & hoc fecit Christus cum auctoritate, & efficacia propter infinitum valorem suarum precum prouenientem ex vnione hypostatica. Quartò denique mediator dicitur, qui non solùm precatur, sed soluit, & satisfacit apud vnum pro altero, & hoc fuit potissimum Christi munus, qui condignè satisfecit pro nobis apud Deum, & hoc pacto potuit nos Deo reconciliare.

43. *Mediatorem quadrupliciter dici.*

Ambros. *Christus arbiter dictus ab Ambrosio*

His suppositis, duo quærit S. Thomas *in illa quæstione 2.* Primum est, Vtrùm hoc officium mediatoris Dei, & hominum sit proprium Christi? Ex dictis autem constat, si mediator sumatur pro intercessore, vel satisfactore, prout sumitur ab Apostolo in prædictis verbis, Christo soli competere, hoc munus perfectè, & condignè: nam licèt alij potuerint intercedere, & satisfacere de congruo pro aliis, non tamen de condigno, & cum sufficienti virtute ad ponendum effectum.

44. *Affirmantur quæstiones. Augustini, & soluuntur.*

Quæstio prima.

Secundò quærit S. Thomas, Vtrùm hæc denominatio mediatoris competat Christo in quantum homo est? de quo puncto dicendum est idem quod suprà diximus de nomine Sacerdotis; scilicet primò posse propriissimè dici, *Christus, vt homo Deus, est mediator*, quia vt sic includit, & explicat, subiectum, quod denominatur mediare, & potentiam, seu virtutem, qua constituitur in ratione mediatoris, quæ est natura diuina, à qua prouenit dignitas, & valor mediationis. Secundò, non posse dici, *Christus, in quantum Deus est mediator*, quia Deus non intercedit, nec satisfacit pro nobis. Tertiò denique posse dici, *Christus in quantum homo est mediator*; & hoc tum in sensu specificatiuo, designando scilicet per reduplicationem subiectum, cui peculiariter conuenit prædicatum mediatoris: tum etiam in sensu reduplicatiuo, denotando principium, & radicem mediationis, quæ est natura humana,

45. *Quæstio secunda.*

quæ sola denominatur formaliter intercedere, & satisfacere. Vide quæ ibi sunt dicta de sacerdotio, eadem enim dicenda sunt de officio mediatoris propter easdem rationes.

46. *Quæstio tertia.* Tertiò quæri potest, sicut de sacerdotio, an hæc denominatio mediatoris proueniat Christo per solam vnionem hypostaticam, an verò requiratur vltra vnionem aliquid superadditum ad complendam hanc denominationem? Respondetur breuiter ex dictis. Si loquamur de officio mediatoris radicaliter, & fundamentaliter, dari quidem in Christo antecedenter ad omne aliud superadditum: nam per vnionem solam intelligitur talis, cuius preces, & satisfactio condignæ sint, & superabundantes, atque adeò exigant acceptari, & habere effectum, pro quocumque offerantur. Cæterùm, quia Deus posset adhuc illas preces, & satisfactiones non acceptare, atque adeò tunc non esset Christus mediator Dei, & hominum, ideo ad complendam denominationem formalem, & proximam mediatoris videtur requiri voluntas Dei constituendi Christum mediatorem, vel acceptandi eius intercessionem, & satisfactiones pro hominibus; per hanc enim voluntatem intelligitur Christus ex officio mediator completè Dei, & hominum, prout de facto fuit. Hæc tamen facilia sunt, & meré de nomine.

DISPVTATIO XXX.

De regno, & dominio temporali Christi.

SECTIO I. *An, & quale regnum habuerit Christus vt homo?*

SECTIO II. *De dominio Christi circa res singulas vniuersi.*

Diximus de summo Sacerdotio, & Pontificatu Christi, & in eo fuisse præfiguratum per Melchisedech, qui fuit Rex, & Sacerdos: qua occasione meritò disputant in præsenti Theologi, an & quomodo Christus fuerit Rex & Dominus, non solùm regno, & dominio spirituali, sed etiam directè circa temporalia.

SECTIO I.

An, & quale regnum habuerit Christus vt homo.

1. *Suppositio prima.* SVpponitur primò pro certo; Christum habuisse saltem indirectè ius, & dominium regnorum, & rerum omnium temporalium, quatenus in ordine ad regimen spirituale animarum opus erat circa temporalia aliquid disponere, præcipere, vel mutare. Sed quæstio præsens est, an habuerit etiam imperium, & dominium directum circa temporalia.

Suppositio secunda. Supponimus secundò, Christum non fuisse de iure subditum Regibus, & Principibus temporalibus, contra Marsilium Patauinum, & Ioannem de Ianduno, qui dixerunt, illum fuisse subditum, atque ideo tributa eo debito & necessitate soluisse. Quem errorem damnasse Ioannem XXII. refert Cardinalis Turrecremata *in lib. 4. summæ 2. parte cap. 37.* est enim contra doctrinam Euangelicam, ex qua constat *Matth. 17.* Christum significasse apertè, se esse liberum à solutione tributi, sed propter vitandum scandalum voluisse illud soluere. Turrecr.

His suppositis prima sententia docet, Christum ex iure successionis habuisse ius temporale in regnum Iudæorum, quia erat ex familia & domo Dauid. Quæ tribuitur Armacano *lib. 4. quæstionum Armenorum cap. 16.* & Bachonio 1. *prologi art. 2. conclusione 2. & q. 11. prologi art. 3.* quibus fauere videtur Abulensis *in c. 21. Matth. quæst. 30.* 1. Sententia prima. Armacan. Bachonis. Abulens.

Hæc tamen sententia communiter ab omnibus reiicitur, & meritò, quia quidquid sit, an per fœminas posset trasferri successio regni Iudaici; cæterùm B. Virgo non descendebat ex Dauid per Salomonem sed per Nathan, vt probant nostri recentiores; Ioseph autem, qui descendebat per Salomonem, non erat Pater Christi; & licet esset Pater adoptiuus, (vt aliqui respondent, quod tamen non probat) adoptio tamen non transfert ius regni in præiudicium aliorum descendentium. Adde, si ius illud per successionem ad Christum pertineret, non potuisse ad ipsum peruenire, viuente B. Virgine, ad quam prius deberet peruenire, & in ea per totam vitam durare. Absque fundamento etiam dicitur, Christum fuisse ex omnibus posteris Dauid illum qui gradu proximiori & per primogenitos ab ipso descenderet, & qui iure sanguinis omnibus deberet preferri. Quòd si patres aliquando significant, Christum vt filium Dauid habuisse regnum eius, intelligunt de regno spirituali, in quod commutato regno temporali, verum fuit, perseuerasse regnum in domo Dauid in æternum. Reiicitur communis.

Secunda ergo sententia docet, Christum fuisse quidem Regem spiritualem, non tamen temporalem. Hanc tenent Driedo *lib. 1. de dogmatibus Sacræ Scripturæ, tract. 2. cap. 10. part. 1.* Franciscus Victoria *in relectione prima de potestate Ecclesiæ quæst. 5. à num. 16* Et Bartholomæus Medina infrà *quæst. 59. art. 4.* 2. Sententia secunda. Driedo. Victoria. Medina. Sententia tertia.

Tertia sententia docet, Christum fuisse quidem Regem in vniuerso mundo, etiam in temporalibus, non tamen habuisse dominium temporale singularum rerum secundùm humanam naturam. Hanc tenet, & latè probat cum aliis, quos pro se adducit, P. Vasquez in præsenti *disputatione 87. cap. 2. & sequentibus.* Vasquez.

Denique quarta sententia vtrumque concedit Christo, scilicet regnum, & dominium supra res singulas: quam cum aliis, quos refert, sequitur, & probat P. Suarez in præsenti *disp. 48. sect. 2.* Sententia quarta. Suarez.

Inter has sententias quarta videtur mihi probabilior, si aliquantulum explicetur, & limitetur. Oportet enim distinguere inter regnum in actu primo, & in actu secundo, quæ etiam distinctio considerari potest in dominio, vt infrà videbimus *sect. seq* Non videtur autem, 4. Iudicium auctoris.

posse